



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 112. Quid dicendum sit in casu, quo est speciale præceptum, & in loco, è quo exit, & in loco, ad quem venit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

ferre, &c. si talia ibi prohibita sint. *Panormit. Re-*  
*gin. Sanch. n. 36.*

Dixi 2. *præceptis specialibus* : quia si domi-  
tuz consuetudine derogatum sit alicui præcepto  
juris communis, & aliò venias, ubi illud viget, eo-  
dem obligaberis. Ratio est, quia lex juris commu-  
nis est universalis, & obligat omnes, sine ordine ad  
locum. *Laym. n. 2. Unde resolvitur hic Casus.*

Belga aliquis veniens Coloniam, v. g. tenetur  
illic sabbatis inter Nativitatem Christi & purifi-  
cationem abstinere à carnibus, quia privile-  
gium ejus comedendi tunc carnes, non est perso-  
nale, sed locale: ideoque expirat extra locum.  
*Laym. n. 3.*

## A D D E N D A.

**Q** 112. *Quid dicendum sit in casu, quo est spe-*  
*ciale præceptum, & in loco, è quo exit, &*  
*in loco, ad quem venit.* v. g. si Titius exeat ex loco,  
ubi est speciale jejunium, & veniat ad locum, ubi  
est aliud speciale jejunium; item, si exeat è paro-  
chia sua, in qua est speciale festum S. Fabiani patro-  
ni Ecclesiæ, & veniat in aliam parochiam, ubi est  
speciale festum S. Sebastiani patroni hujus Ecclesiæ,  
an teneatur jejunare vel audire Sacrum. *R.* Plures  
cum *Castrop. tr. 3, d. I. p. 24. §. 3. & 5.* dicunt teneri,  
sed *Io. Sanch. Tambur. in Decal. l. 4. c. 1. §. 2. n. 13.*  
& *Burgh. cent. I. cas. 16.* probabiliter negant, quia  
in primis non tenetur ratione specialis præcepti in  
suo territorio, ex quo exit, uti dictum est dub. præ-  
ced. Deinde nec tenetur ratione specialis præcepti in  
altero territorio, ad quod venit, quia non est sub-  
ditus jurisdictioni horum Superiorum, ergo neutro  
præcepto tenetur, & consequenter, si ablit scanda-  
lum, poterit non jejunare nec audire Missam sed in-  
Bb dalgere

dulgere Servilibus. *Nec refert*, quòd fortè vesperi sit rediturus ad suum domicilium, *nam* ad rem non facit, sive diu sive parum emanat, quia absentia à loco proprio eum à lege eximebat, quamdiu per diem aberat, attamen reversus ad domicilium suum non poterit carnes comedere, si in hoc suo loco erat jejunium, imò nec plenè cœnare, si jam ante per diem non sumpserat duplicem refectioem, quia jam adhuc posset fervari jejunium, ad quod in suo loco existens obligaretur. *Videri potest Illf. t. 1. d. 2. n. 24.*

687

## DUBIUM IV.

*An Peregrini teneantur præceptis juris communis, si non sint in usu in loco, ubi morantur.*

**R** Esp. Non teneri. Ratio est, quia tunc valet privilegium locale, quo frui possunt omnes qui in loco morantur. *Sanch. 1. mor. cap. 12. Suar. Laym. & c. Unde resolvuntur sequentes Casus,*

I. Si Germanus per Hispaniam transeat, potest sabbatis vesci intestinis animalium. Idem si per Belgium, aut Mediolanum iter habeat, potest inter Nativitatem Christi & Purificationem, in Belgio sabbatis, Mediolani verò quatuor primis diebus Quadragesimæ carnibus vesci. *Sanch. Suar. Bon. p. 6. n. 61.*

II. Si quis ex Dicecesi Catholica, v. g. Hildesio, ubi vetus Calendarium adhuc est in usu veniat in aliam, ubi novum est receptum, v. g. Monasterium, potest, si ibi Quadragesima præterit, carnibus vesci, ut docet *Sanch. l. c. Salas nu. 69. Bonac. nu. 64. Less. l. 4. c. 2. d. 8.* qui tamen contrariam sententiam suadet in praxi, licet hæc tuta sit, ut etiam docet *Lay.*

*NB. 1700  
acceptarent  
ibidem Car.  
alendarium  
novu*

Addidi